

*potestatis aeris huius, &c. Ephes. 6.* per quem Satanam intendit, qui est princeps seu imperator aeris, sub cuius Imperio sunt (iuxta Doctorem Hebræorum doctrinam) quatuor reges seu antesignani, qui lata Satanæ vela gerere dicuntur, videlicet & illi reges antea citati, quos cum suis ducibus Apostolus vocat alio in loco *Principes, Potestates, & dominos tenebrarum, in hoc mundo, Ephes. 2. 2.* sub quorum imperio sunt legiones quadripartitæ conditionis, iuxta triplicitates 4. Zodiaci, quarum cuilibet sunt Principes tres, verbi gratia in ignea triplicitate præfectus arietis, Leonis, & sagittarii, quorum influentiæ in regno elementari custodia Samaelis, si male affectæ, aut Michaelis, si bene affectæ, committuntur. Hinc ergo est, quod secundum signorum cælestium duodecim præfectos, Saluator noster mentionem facit de angelorum legionibus, dicens: *An putas, quod non possim rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quam duodecim angelorum legiones? Matth. 26. 53.* De his signorum præfectibus duodecim, & dominis 4. triplicitatum, quæ ad portas cælestis ciuitatis sunt relatæ, videlicet tres in oriente, & totidem in occidente, atque etiam meridie & septentrione, cum angelis ipsarum custodibus, antea sumus loquuti. Pari etiã ratione in legiones ordinantur pravi angeli, vnde cum Christus petiit à Dæmonio, *Quod tibi nomen est?* respondit, *legio mihi nomen est, quia multi sumus: Mar. 8.* Quibus notare possumus, quod Dæmonii substantia sit valde minuta, instar atomi solaris & consequenter quod sit infinita dæmonũ vndiq; in aere volantium multitudo, quod etiam à Doctore Hebræorum verbis expressis confirmatur, quorum est opinio, quod à terra vsque ad firmamentum non sit locus vacuus sed omnia plena formis, ex illis puræ ex illis capaces gratiæ, & sunt inferius multæ effigies fædæ, noxiæ, tentatrices, commorantes & volantes in aere, similiter in *Porta lucis* habetur, quod non sit à terra vsque ad firmamentum locus vacuus, quin totum sint species, ex illis ad bellum, ex illis ad pacem, ex illis ad bonum, ex illis ad malum, ex iis ad vitam atque ex iis ad mortem, & omne id in habitatione inferiori in qua nos sumus, vt refert Ioseph. Castaliensis. Quibus evidens est, quod infinitus, quo ad nos, sit dæmonum, tam malorum quam bonorum in regione hac elementari, in qua spiramus, numerus, quorum alii sunt ex parte Orientis, alii ex natura meridiei, nonnulli occidentales, atq; alii septentrionales respectu plagæ mundi, atque etiam triplicitatis, de cuius complexione & conditione participant.

Porto etiam à planetæ natura, cuius præcipue influentiis animantur ac viuificantur, alii Saturnini, alii Iouiales, Martiales, Solares, Venerei, Mercuriales, atq; Lunares dicuntur, vtpote qui sunt Angelorum seu Intelligentiarum, Planetis præsidentium subditi, vnde fit, vt prædominante Saturno in horoscopo seu schemate cælesti, propter copiosos ipsius tunc temporis influxus, & spiritus in elementis de eius natura participantibus solent prædominari, & sic in cæteris.

Denique horum quilibet generali nomine vocatur ab elemento, de quo naturaliter participat, in quo tanquam in sua patria communiter & libentius viuit, atque in hoc consentiunt permulti, in mysteriis dæmonum versatissimi. Nam in primis Cabalistsæ & Hebræorum Doctores dicunt, quod dæmones squalentes & turpissimi sint humano generi hostes, vnde in eorum appositione ad angelos bonos dicuntur Angeli contrariæ fortitudinis; at horum fatentur nonnullos supremam aeris regionem peruagari, quos ideo igneos appellant, qui vero nobis propinquius oberrare solent, aereos vocant, at illos qui terrestria territant terreos nuncupant, vt & illos qui lacus ac fluuios inhabitant ac sæpe mare quatunt, aqueos nuncupant, quos denique lucifugos dicitant & tenebrosos, hos siquidem subterraneos faciunt. Hoc etiam Pfellus ex Marci confessione confirmare videtur dicens, sex solummodo horum dæmonum genera in regione elementari inueniri.

- Quorum
- Primum igneum, quod circa sublimem aeris regionem peruagari videtur.
  - Secundum æreum, quod propinque nobis oberrat.
  - Tertium Aquatile, quod humoribus se immergit, videlicet lacubus, stagnis, fluminibus atque mari.
  - Quartum Terreum, quod vt plurimum circa terram versatur.
  - Quintum subterraneum, quod sub terra habitare solet.
  - Sextum & vltimum est lucifugum, imperscrutabile & tenebrosum.

Hæc Cacodæmonum genera dicuntur Deum, Angelos, atque etiam homines in odio habere, de quorum proprietatibus & conditionibus mox latius loquemur.